



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Consensus Veteris Et Moderni Papatus

**Reck, Johann von der
Monasterii Westphaliæ, 1722**

XIX. De signo Sanctæ Crucis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68472)

ram Domini Vicario , tabescens præ rubore , vel cervicosus præ indignatione : nam ipsius humiliter subeundum est iudicium , quem Dominus sibi non dedignatur Vicarium. Ergo ad te venire roges Sacerdotem , & fac ipsum conscientiarum tuarum penitus participem.

Item homil. 49. Agite poenitentiam, qualis agitur in Ecclesiâ, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat; occultè ago, apud Deum ago; novit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causâ dictum est, quæ solveritis in terra, soluta erunt in cælo? Ergo sine causâ sunt claves datæ Ecclesiæ Dei? Frustramus Evangelium Dei? frustramus verba Christi?

X I X.

De signo Sanctæ Crucis.

Tertullianus de coronâ militis. Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum & exitum,
ad

ad vestitum & calceatum, ad lava-
era, ad mensas, ad lumina, ad cu-
bilia, ad sedilia, quæcunque nos con-
versatio exercet, frontem crucis si-
gnaculo terimus. Harum & aliarum
ejusmodi disciplinarum si legem ex-
postulas scripturarum, nullam inve-
nies: traditio tibi prætenditur au-
ctrix, consuetudo confirmatrix, &
fides observatrix.

*S. Cyrillus Hierosolymitanus Cate-
chesi 4. de ascensione.* Ne ergo Chri-
sti crucem erubescamus; sed si quis
alius abscondat, tu palàm ad fron-
tem obsignato, ut dæmones regium
signum intuentes, tremulí procul
auffugiant. Signo autem isto utere
tum edens ac bibens, tum sedens ac
cubans, de lecto surgens, loquens,
ambulans, & ut semel dicam, in
omni re, omnique negotio.

*S. Athanasius lib. de incarnat. ver-
bi.* Signo Crucis omnia magica com-
pescuntur, veneficia inefficacia fiunt,
&c.

S.

S. Chrysostomus hom. 12. in 1. Corinth. 4. circa finem. A primis annis filios vestros spiritualibus armis munitis, & cruce frontem sibi signandam erudiatis; & priusquam ipsi per se facere possint, vos id facite.

S. Ephrem. l. de Panoplia, sive armatura spirituali sub initium: Cæterum vice scuti, crucis signo te ipsum muni: signans eo membra tua omnia, & cor tuum. Neque verò sola manu te signes; sed etiam animo, & studia tua, & ingressum tuum, & exitum tuum in omni tempore. Sessionem quoque tuam, & resurrectionem tuam, & lectulum tuum, & quæcunque, signa primùm in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Validissima quippe ejusmodi armatura est; nullusque tibi unquam nocere poterit, si eâ munitus fueris, &c.

S. Augustinus tract 118, in Joan. ad finem.

finem. Quid est, quod omnes no-
verunt, signum Christi, nisi crux
Christi? Quod signum nisi adhibea-
tur, sive frontibus credentium; sive
ipsi aquæ, quâ regenerantur; sive
oleo, quo chrismate ununtur; si-
ve sacrificio, quo aluntur, nihil eo-
rum rite perficitur.

Item Sermone 181. de tempore c. 3.
Hoc enim signo Crucis consecratur
corpus dominicum, sanctificatur fons
baptismatis, inicianur etiam Presbyte-
ri & cæteri gradus Ecclesiastici; & o-
mnia, quæcunque sanctificantur, hoc
signo dominicæ Crucis cum invoca-
tione Christi nominis consecrantur.

Lactantius l. 4. Divinarum institut.
c. 26. circa finem : extendit ergo in
passione manus suas, orbemque di-
mensus est; ut jam tunc ostenderet,
ab ortu solis usque ad occasum ma-
gnum populum ex omnibus linguis
& tribubus congregatum sub alas
suas

suas esse venturum, & NB. signum illud maximum atque sublime frontibus suis suscepturum.

S. Basilius l. de Spiritu S. c. 27. Traditiones Apostolicas non scriptas in medium adducturus, inter alia sic scribit: ut signo crucis eos, qui spem collocarunt in Christum, signemus, quis scripto docuit ?

S. Hieronymus ad Eustochium de custodia virginit. epist. 22. c. 16. Ad omnem actum, ad omnem incessum, manus pingat crucem.

Item in c. 9. Ezechielis: Antiquis, inquit, Hebræorum literis extrema litera thau, crucis habet similitudinem, quæ in Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manûs inscriptione signatur.

F I N I S.